Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

AUTHOR:
MARTINI, AUGUST

TITLE:
QUAESTIONES CRITICAE DE REBUS AD...

PLACE:
MONASTERII

DATE:
1884


Master Negative #

91-80066-10

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record



874
Z8
v.7

Martini, August.
Quaestiones criticae de rebus ad historiam Aureliani pertinentibus institutae. Pars I. De bello Palmyreno. -- Monasterii, ex typographia Brunniana, 1884.
35 p. map. 21 cm.

Thesis, Munster.

192696 Volume of pamphlets

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA


FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6.24.91 INITIALS V.W.D.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT




AIIM

Association for Information and Image Management

1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202








Centimeter



Inches







MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

No. 10

1—

QUAESTIONES CRITICAE
DE REBUS AD HISTORIAM AURELIANI PERTINENTIBUS INSTITUTAE.

PARS I.

DE BELLO PALMYRENO.

COMMENTATIO HISTORICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM ACADEMIA REGIA MONASTERIENSI

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE VII. MENSIS FEBRUARII A. MDCCCLXXXIIII

IN PUBLICO DEFENDET

AUGUSTUS MARTINI

GUESTPHALUS.

MONASTERII.

EX TYPOGRAPHIA BRUNNIANA.

MDCCCLXXXIIII.

AVUNCULO

ANTONIO RINTELEN

IN SUMMO POMERANIAE PROVINCIAE TRIBUNALI CONSILIARIO

SACRUM.

Motto:

„Prima sequentem honestum est in secundis tertiisque consistere“.

Cic. or. 4.

Prooemium.

Circumspicientibus nobis et percurrentibus historicorum nostrorum libellos, quod in exploranda Romanorum imperatorum historia permulti nostris temporibus studia posuerunt iisque toto animo se dederunt, valde mirum visum est, quippe cum quantopere docti has res antea neglexerint et quasi vero nullius vel levioris momenti essent, contempserint, non ignoremus. Neque vero tam miramur quam gaudemus; nam neminem opinor rerum antiquarum peritum effugere potest, quam ad universam historiam pernoscendam rectum sit et verum, ut res populi Romani quae ad priora p. C. n. saecula pertinent, denuo curiosissime exquirantur. Harum igitur rerum studium ut magis magisque excitaretur, philosophorum academiae ordo anno MDCCCLXXXI de Aureliani vita et rebus gestis quaestionem proposuit; quam ut persolverem operam daturus opusculum conscripsi, quod cum praemio ornatum sit, emittere diu cogitavi, sed propter omisi, quod investigandis illis rebus inde ab eo tempore saepius ac diligenter denuo vacavi et accuratius quam antea mihi licuerat, multa indagare et cognoscere potui. Ita autem factum est, ut magnam operis partem retractare instituerem, in quo haec lex mihi sequenda esse videbatur, ut praecipue de rebus dubiis et incertis disputarem

Ac primum igitur de bello Palmyreno quaestiones feci quas hac commentatione nunc offero. Sed ne fundamentum operi deesset, antea de fontibus disserere mihi necesse esse arbitratus sum.

De fontibus.

Fontes quotquot de imperatoris Aureliani historia exstant et praesto sunt, in duas omnino partes dividendi sunt, quarum alteram tituli et nummi, alteram scriptores efficiunt. Tituli et nummi sine dubio meliorem partem praebent et quoniam a levitate scriptorum ac neglegentia librariorum peraeque sunt liberi, certissima rerum testimonia nobis afferunt. Scriptores vero valde diversi pretii sunt, unde fit, ut de uniuscuiusque auctoritate fusius me dicere opus sit, praesertim cum priores velut Goerresius [1]) aus nimis parce de iis scripserint aut quae mihi non probarentur, protulerint. Ex his autem maxime improbanda mihi visa sunt, quae illi de scriptorum historiae Augustae fide dixerunt; contra de reliquis scriptoribus in universum rectius eos iudicasse puto. Itaque de his brevius hoc loco disseram, illos vero longiorem in disputationem deducam.

In iudicanda igitur et perpendenda scriptorum historiae augustae fide atque auctoritate omnium fere doctorum commune iudicium fuit, veterum historicorum infimos et miserrimos illos quidem putandos esse, plurimum tamen ad historiam tertii saeculi scrutandam valere, quod multis locis epistulas et acta publica vitis suis inseruerint [2]). Contra Carolus Czwalina dissertatione Bonnensi anno huius saeculi septuagesimo emissa primus quod videam, omnium quae ab illis feruntur monumentorum fidem in dubio posuit et quas Volcatius Gallicanus in vita Avidii Cassii protulerit epistulas falsas et fictas esse firmis argumentis nos docuit [3]). Qui vir doctus quam recte disseruerit ostendere et exemplis illustrare idcirco meum esse puto, quod res maximi momenti mihi esse videtur. Nam, ut recte adnotat

---

[1]) Goerres, de primis Aureliani principatus temporibus, diss. Bonn. 1868.

[2]) cf. commentationes Dirksenii, Richteri, Krausii, Peteri, imprimis autem Brunneri: Vopiscus lebensbeschreibungen, Lpz. 1868, apud Bueding. II; de Trebellio Pollione cf. Daendliker apud Bueding. III.

[3]) Czwalina, de epistularum actorumque quae a scriptoribus hist. Aug. proferuntur, fide atque auctoritate, diss. Bonn. 1870.

Czwalina, epistulae et acta si sine dubio vera et genuina monumenta existimanda sunt, non dubium est, quin sicut lapides et nummi pro certissimis rerum testimoniis accipienda sint. Accedit quod apud omnes, imprimis apud Vopiscum, epistulae magnam vitarum partem efficiunt, quam ob rem si de fide Vopisci tractabitur, primo loco de veritate monumentorum quae ab eo feruntur, tractandum erit. Quo autem graviores de veritate epistularum quaestiones sunt, eo magis offendimus, quod qui post Czwalinam de rebus quae ad III p. C. saeculum pertinent, scripserunt, velut Hollaender, Hoefner, Porrathius, Doubelius illius viri libelli nullo quod videam verbo mentionem faciunt neque in epistulis a scriptoribus h. a. prolatis disputationum suarum quasi fundamentum statuere dubitant [1]). Verum unde evenerit, ut praeter Czwalinam adhuc omnes docti illis epistulis fidem tam magnam tribuerint quotiescunque quaesivi, hoc mihi gravioris ponderis fuisse visum est, quod scriptores saepe ne de veritate sua dubitetur, se scriniis et bibliothecis publicis usos monumenta et acta descripsisse confirmant seque omnia vere narrare firmissime asseverant. Sed has asseverationes levissimas esse recte iudicabit, qui quam incredibili impudentia Caesarianis temporibus epistulae confictae sint non ignorat [2]).

Epistularum igitur quae apud scriptores h. a. inveniuntur, complures eae sunt, quas falsas esse nemini non persuasum sit, velut litterae ab Armeniorum rege ad Persas missae, quas Trebellius Pollio initio vitae Valerianorum memoriae prodidit [3]), plurimae autem apertis falsariorum vestigiis haud ita valde refertae, immo cum cura et diligentia fictae sunt. Itaque omnes

---

[1]) cf. Hollaender, die kriege der Alamannen mit den Roemern im III. jahrh. nach Chr., Karlsruhe 1874, Hoefner, Untersuchungen zur gesch. des kais. Sept. Severus, Giessen 1875, Porroth, de Alex. Severo, diss. Hal. 1876, Lucien Double, les Césars de Palmyre, Paris 1877.

[2]) Epistulae quotquot ab antiquis traduntur, ut primus Richardus Bentleius dissertatione sua de epistulis Phalaridis (dissertations upon the epistles of Phalaris, London 1699) tum aliis commentationibus docuit, maxima ex parte falsae et suppositiciae existimandae sunt. cf. Phalarid. epistulae edd. Lennep et Valckenaer, Groningae 1777, pars II qua continentur Bentleii dissert. de Phalaridis, Themistoclis, Socratis, Euripidis aliorumque epistulis etc.

[3]) cf. Czwal. l. c. p. 10.

epistulas de integro acerrime perscrutari quaeque pro falsis habendae sint statuere debebimus. Sed huius commentationis quam edo, cum explorandis rebus, quae Aureliano regnante bello Palmyreno gestae sunt, modum terminaverim, de fide omnium monumentorum quae prolata sunt, amplius disserere non licet. Quare hoc loco sufficiat, id quod ad rem pertinet, ex epistulis quas Vopiscus in vita Aureliani tradidit nonnulla afferre, quae gravem suspicionem movent et veritatem illarum in maximam dubitationem adducunt. Eo nimirum rem non plane conficere, sed quasi viam ostendere mihi in animo est, quae meo iudicio iis sequenda est qui post me in his rebus scrutandis versabuntur.

Primum igitur tractandum esse mihi videtur de epistula Valeriani ad Antoninum Gallum consulem missa [1]), qua ille scribit filium Gallienum se Aureliano non commisisse, quod in metu fuisset, ne is nimis severum et rudem erga filium se praeberet. In quo, ut recte dixerunt Duentzer et Bernhardtius [2]), satis mirum est, quod nomen pueri Gallieno tribuitur. Sed non solum hoc vocabulum, sed etiam reliqua omnia quae in litteris leguntur, nos offendunt. Nam semper Valerianus de Gallieno proinde quasi infans sit loquitur. Gallienus autem eo tempore quo Valerianus principatum suscepit, vir maturi animi et triginta quinque annos natus erat; atque adeo Valerianus pater Gallieno confisus est, ut eum cum magno exercitu ad defendendam Galliam mittere non dubitaret. Profecto si quis sana mente haec consideraverit illas litteras a Valeriano non scriptas esse fatebitur. Suo iure iam Duentzer huius epistulae veritatem in dubium vocavit, frustra autem eius veritas a Brunnero defenditur. [3])

Sed pergamus. Vopiscus dein quo loco bellum contra Iuthungos-Alamannos enarrat, orationem attulit, quam Ulpius Silanus in senatu de bello habuerit. [4])

---

[1]) cf. Vop. Aur. 8.

[2]) cf. Bernhardt, geschichte Roms von Valerian bis Diocletian, Berl. 1867 p. 18.

[3]) Brunner l. c. p. 46.

[4]) Aur. 19.

Hostes autem non Iuthungos vel Alamannos sed Marcomannos vocat et ipse Silanus in oratione Marcomannos eos nominat, quod falsum est. Primum enim Dexippus sine dubio optimus et gravissimus harum rerum testis contra Iuthungos dimicatum esse diserte dicit. Tum etiam monendum est Marcomannorum societatem illo tempore iam diremtam eorumque et multitudinem et opes valde deminutas fuisse. Quare etiamsi cogitari potest nonnullos Marcomannos cum Iuthungis iunctos fuisse, certe tamen ob eam rem fieri non potuit, ut in actis publicis illud contra Iuthungos bellum Marcomannicum diceretur. Itaque Vopiscum errasse manifestum est. Sed hoc vitium ferri posset, nisi in ipsa quoque oratione nomen Marcomannorum legeretur. — At dixerit quispiam Marcomannorum vocabulum, quod in codicibus legatur, librariorum culpa corruptum et pro eo Alamannorum nomen reponendum esse. Sed hoc non credimus, quia bis antea et etiam alio loco [1]) non Alamannorum sed Marcomannorum nomen scriptum invenitur.

Iam ut alia proferam, in oratione, quae ut narrat Vopiscus [2]), ab Ulpio Crinito in contione anno CCLVIII [3]) Byzantii habita dicta est, haec Ulpii Criniti verba suspicionem mihi moverunt: „iube ut lege agatur sitque Aurelianus heres sacrorum nominis totiusque iuris Ulpio Crinito iam consulari viro ipse actutum te iudice consularis“. Ex his enim colligendum est Aurelianum aute annum CCLVIII consularem non fuisse. Sed hoc non quadrat ad ea quae leguntur in epistula, quae paulo supra apud Vopiscum posita [4]) et sine dubio ante a. CCLVIII scripta est. Ibi enim legimus Valerianum Aureliano consulatum pollicitum esse in annum sequentem „a die XI kalend. Iun. in locum Valeriani et Gallieni“. Qui annus utrum CCLV an CCLVII fuerit, de quo dissentiunt docti, nolim diiudicare [5]), quoniam litteras illas ante annum CCLVIII scriptas esse nos scire sufficit. Vides autem utrumque stare non posse. Nam

[1]) cf. cc. 19 et 21.

[2]) Aur. 14

[3]) cf. Wietersheim, gesch. d voelkerwanderung II ¹, p 288.

[4]) c. 11.

[5]) Wietersheim l. c. p. 296 sq. et Bernh. l. c. p. 147 illas litteras anno CCLVII scriptas esse contendunt, sed hoc valde dubitari potest.

si Aurelianus ante annnum CCLVIII consulatum gessit, certe illa verba Ulpii falsa putanda sunt. Verum cogitari potest Aurelianum illum priorem consulatum propter bellum non iniisse. Quod si opinari licet, ille alter consulatus primus omnium habendus est, igitur secundus is, quem anno CCLXXI suscepit. Sed Aurelianus, ut fasti docent, anno CCLXXI non secundum sed primum consulatum iniit. At dixeris hunc primum ordinarium consulatum fuisse. Sane constat Aurelianum anno CCLXXI primo consulem ordinarium fuisse, sed Augusti etiam si suffecti ante imperium fuerant, hos consulatus suis adnumerare solebant, velut Valerianus, qui ante principatum consul suffectus fuerat, anno CCLIIII secundum consulatum suscepit, velut Decius, Septimius Severus, alii. Itaque valde dubium est, num unquam ante principatum Aurelianus consul fuerit, praesertim cum a nullo scriptorum quicquam de eo referatur.

Verum in orationibus quas Byzantii habitas Vopiscus memoriae prodidit, etiam alia sunt, in quibus offendamus. Etenim narratur, Aurelianum consulem designatum esse, ut a die XI kal. Iun. Valeriani et Gallieni loco munus susciperet, quod valde dubium est. Namque quoniam consulatus ordinarii, qui kalendis Ianuariis suscipiebantur, maioris dignitatis et honoris erant quam ceteri et ob eam rem imperatores nisi kalendis Ianuariis consulatum non inibant, etiam hoc loco Valerianum et Gallienum kalendis Ianuariis consulatum suscepisse concludendum est. Quod si ita se habet, Valerianus et Gallienus a kalend. Ian. usque ad XI kalend. Iun. i. e. quinque fere menses in consulatu manserunt. Sed constat et Dio testatur, tertio p. C. saeculo consuetudinem fuisse, ut duodecim consules per annum crearentur ita ut consules non plus duos menses munere fungerentur. Accidit aliquando, ut consules infra vel ultra hunc terminum manerent, nunquam autem, quantum quidem adhuc scimus, consul plus quattuor menses fasces obtinuit. [1])

Porro suspectum mihi esse videtur, quod Vopiscus Aurelianum ab Ulpio Crinito adoptatum esse tradidit. Diserte, ut prodit. scriptor, ille quidem in oratione dicit „iube ut lege agatur sitque Aurelianus heres sacrorum nominis totiusque iuris“

[1]) cf. Mommsen, antiquitates II p. 78 sq.

et additur a Vopisco, adoptionem, ut soleat, impletam esse, sed Aurelianus, ut e nummis titulisque concluditur et constat, nomen Ulpii non sumpsit neque, quod fert Vopiscus, a scriptoribus reliquis confirmatur. Itaque de adoptione narratiunculas, quas Vopiscus ex actis Acholii se descripsisse dicit, plane confictas esse puto; eas enim Vopiscus sive alius quispiam cum Aureliani uxori nomen Ulpiae Severinae fuisse audivisset, facile ementiri potuit. Quare Theodorus Rohde Aurelianum non filium sed generum Ulpii Criniti fuisse non sine iure opinatur[1]).

Tum in universum quae Vopiscus de contione apud Byzantium rettulit, nos offendunt. Nam etsi duces limitum et praesides provinciarum, quos Vopiscus hoc loco commemorat, iam ante Valerianum in titulis dicuntur[2]), eiusmodi tamen contiones militarium, quibus praesente exercitu praesentibusque ducibus limitum et officiis Palatinis, ut dicere liceat, imperator praesidet, aetatem Constantinianam, qua Vopiscus vitas scripsit, valde redolent. — His rebus efficitur, ut illas orationes a Vopisco prolatas pro veris et e senatus actis descriptis minime habeamus.

Iam aliam perscrutemur epistulam et quidem eam quae a Valeriano ad Ceionium Albinum praefectum urbi scripta est. In ea legitur Aurelianum a Valeriano omnibus castris praefectum esse[3]), quod maximam nobis affert dubitationem.

Sed circumspiciamus modo, quid de praefectura castrorum nobis notum sit. Praefecti catrorum ab Augusto creati sunt, ut singulis legionum castris commeatum prospicerent. Eo igitur tempore plurumque complures in singulis castris legiones erant, inde autem a Domitiano sua quaeque legio castra habebet, qua de causa ex eo qui castris praeerant, praefecti castrorum legionis . . . dicebantur. Severus autem praefecti castrorum nomen sustulit munusque praefecturam legionis appellari iussit; nec vero tam certis legionibus quam certis castris praeponebantur. Qamquam tertio saeculo saepissime factum est, ut in bello

[1]) cf. Rohde, die muenzen des kais Aurelian, seiner frau Severina und der fuersten von Palmyra, Miscolz 1881/82. p. II, p 295.

[2]) cf. Marquardt, antiquitates, 1 p. 415 sq.

[3]) cf. Aur. 9 „Aurelianum fortissimum virum ad inspicienda et ordinanda castra omnia destinavimus.“

quoque legioni legatorum loco praeficerentur, quem usum postea Gallienus, cum tollebat legatos, sanxit et legitimum reddidit.[4]) Sed haec de praefectis hactemus. Nam in iis quae attuli, acquiescere possumus. Vides enim illos viros singulis semper legionibus vel dicam singulis castris praepositos fuisse, nunquam accidisse, ut pluribus illi castris praeessent. Itaque Aurelianum omnibus castris a Valeriano praepositum esse, ut in litteris legitur, omnino falsum est et ea de causa etiam hanc epistulam in falsorum monumentorum societatem deducendam esse existimo.

Denique, ut leviora adiungam, illud quoque suspicionem movet, quod in epistula Claudii[2]) Aureliano nomen Valerii attribuitur, quod neque in nummis neque in titulis invenitur, neque apud ceteros scriptores excepto Prospero reperies. Et alio loco[3]) epistula profertur, quae ut dicit scriptor ad „praefectum annonae urbis“ missa est. Sed, ut certo e titulis constat, illi viri ante Diocletianum „praefecti annonae“ dicebantur, a Diocletiano demum addito vocabulo urbis „praefecti annonae urbis“ appelati sunt.[4]) Itaque illud „urbis“ non ex epistula Vopiscus descripsit, sed ut suo tempore usu receptum erat, addidit. — Iam quis est, qui ab Aureliano ad senatum haec scripta esse credat[5]) „miror vos, patres sancti, tam diu de aperiendis Sibyllinis dubitasse libris, proinde quasi in christianorum ecclesia, non in templo deorum omnium tractaretis“, quae verba magis risum movent, quam ut pro vere ab imperatore scriptis haberi possint, sed minus suspecta viderentur, si anno CCCV, cum omnes toto imperio christianos insectabantur, scripta essent. Hoc autem anno Vopiscus divi Aureliani vitam conscripsit.

Postremo quam non congruat temporum descriptio, quae apud Vopiscum legitur et a doctis ad definiendam rerum chronologiam, ut hoc verbo utar saepissime adhibetur, paucis illustrabo. Scriptum est in c. XXXXI, senatum Aureliano interfecto die

[1]) cf. Willmanns, ephemer. epigraphica 1872, I. p. 81—105.

[2]) Aur. 17.

[3]) Aur. 47.

[4]) cf. Mommsen l. c. II. p. 964, 6.

[5]) Aur. 20.

III non Febr. (a. CCLXXV) in curiam Pompilianam convenisse. Sed ut e titulis nummorum Alexandrinorum firmissime constat, Aurelianus ante diem XXVIIII mens. Aug. a. CCLXXV non mortuus est. [1]) Igitur quod tradit Vopiscus, non verum est. Neque vero id solum est quod dubitationem nobis affert. Nam cum Tacitus kalendis Ianuariis anni sequentis CCLXXVI Augustus fuerit et Aurelianus, ut modo diximus, ante diem XXVIIII Aug. CCLXXV non interfectus sit, etiam illud interregnum num complurium mensium fuerit, ut narrant Vopiscus et uterque Victor, valde dubium et incertum fit. — Sed id quoque nolim silentio ommittere testimonia quae diversis locis Vopiscus de interregno attulit, inter se prorsus repugnare. Refert enim, ut supra commemoravimus, post Aureliani mortem a d. III non Febr. senatum convenisse; quod si verum est Aurelianus exeunte mense Ianuario interfectus est. Alio loco [2]) narrat Tacitum a. d. VII kal. Oct. a senatu Augustum dictum esse. Itaque interregnum octo menses permansisse colligendum est. Sed ipse Vopiscus interregnum sex mensium fuisse bis diserte dicit. [3]) — Quibus ex rebus satis superque fit manifestum, qualia sint Vopisci de temporibus testimonia neque quicquam fidei iis habendum esse.

Explicationibus igitur, quas feci, demonstrare conatus sum, quam suspectae sint epistulae, quae apud Flavium Vopiscum inveniuntur et quidem ita, ut singulas res quae dubitationem movent, persecutus sim. Commune autem omnium fere vitium in eo cernitur, quod quae in iis scripta inveniuntur, omnino per se parum credibilia sunt. Nam multis verbis orationisque ornamentis ita refertae sunt et quasi scatent, ut magis rhetorum quam publicorum actorum officinam oleant. — Itaque si quaeritur, quaenam causa sit, qua scriptores ad fingendas epistulas moti sint, non ii mihi recte iudicasse videntur, qui in unaquaque epistula si quid suspectum invenerant et ob hanc rem de veritate dubitare coeperant, causam fingendi explorare studebant et quidem tanta diligentia ut cum causam non repperissent,

[1]) cf. A. de Sallet, die daten der Alexandr. kaisermuenzen, Berl. 1870, p. 81 sq. Stobbe, die tribunenjahre der roem. kaiser i. Philolog. XXXII 1873, p. 76 sq.
[2]) Vop. Tac. 3.
[3]) Aur. 40, Tac. 2.

etiam de veritate dubitare desinerent. Immo mea sententia plerumque certa fingendi causa non erat. Nam non solum illis temporibus, ut supra dictum est, sed apud veteres iam historicos mos fuit, ut orationes fingerent historiisque suis intexerent itaque personas ipsas quasi vivas inducendo legentium animos magis allicerent et delectarent. Sed de his rebus Czwalina egregie disseruit, quem vide [1]).

Iam vero id agitur, ut investigemus, num omnes quae feruntur epistulae commenticiae existimandae sint. Nam, ut Czwalina dicit, si unam epistulam vel duas a scriptoribus h. a. prolatas falsas esse inter omnes constat, etiam aliarum quae eidem vitae insertae sunt, fidem auctoritatemque labefactari atque everti necesse est. Neque tamen equidem epistulas omnes suppositicias esse crediderim. Nam in compluribus ne minimum quidem est, cur dubitari possit. Sed hanc rem hoc quidem loco plene ac certo diiudicare non possumus; itaque iudicium nostrum in aliud tempus differemus. — Interest autem nosse quis fuerit qui epistulas finxerit. Nam si non omnes, tamen multas ab ipsis scriptoribus h. a. non fictas esse mihi quidem constat. Fictae autem sunt partim ab iis quorum libros scriptores descripserunt. Tum cogitari potest quendam posterioris temporis scriptorem opera et libellos auctorum retractasse et interpolasse novasque epistulas confictas addidisse. Fortasse etiam, quod Linsenbarthius non sine iure contendit [2]), vitae imperatorum quae feruntur, non ab ipsis scriptoribus historiae augustae, sed ab homine aetate inferiore factae sunt; is autem cum libros scriptorum h. a. in summarium cogeret, etiam epistulas novas ementiri vitisque inserere potuit. Sed has quoque res in commentatione nostra disceptare non possumus; nam priusquam de iis iudicium faciamus, epistulas omnes et reliquas res quaecunque a Vopisco aliisque scriptoribus h. a. traduntur, accuratissime examinentur necesse erit. Hoc autem loco id tantum efficere volo, ut ratio quaedam et modus, quo ea quae in vita Aureliani Vopiscus prodiderit, iudicanda sint, quam fieri potest brevissime

[1]) l. c. p. 9 sq.
[2]) Linsenbarth, der roem. Kaiserbiogr. Flav. Vopiscus, progr. Kreuznach 1876. Linsenbarthii sententia si vera est, libros quos habemus, non Vopisci vitas, sed aptius Vopisci vitarum epitomen nominabimus.

statuatur mihi et terminetur. Quare si quaerimus, utrum illa monumenta quae falsa diximus, ad historiam explorandam aliquid valeant an omnino nullius sint pretii, mea opinione minime sequitur, ut si epistula ficta est, etiam quae in ea scripta sint, omnia pro falsis habenda sint. Immo falsarios, quae nunquam evenerint, in litteris fictis scripsisse et quasi e vano dempsisse tantum abest ut credamus, ut saepe veras res eos narrare valde nobis verisimile videatur. Sed verborum copia et multo orationis splendore magis quam ad prosae orationis simplicitatem quadrat, narrationes exornant atque ita obscurant, ut quae rerum summam et quasi nucleum efficiunt, non exquiri possit nisi maximo doctorum labore et diligentia. Itaque ut finem his rebus faciamus, quae narrat Vopiscus, non prius pro veris habenda sunt, quam summa cum diligentia ad veritatem examinata sunt, vel propterea eo magis quod ut satis notum est, cum magna et incredibili neglegentia e priorum libris aliisque fontibus vitas suas Vopiscus conscripsit. Verumtamen maximi ille momenti in historia exploranda ducendus est, quia praeter eum nemo invenitur, qui de rebus Romanis sub imperatore Aureliano copiose scripserit. Hoc autem mihi constat, diversas res et narratiunculas, quas tamquam ornamenta vitis innexuit, nec minus quae de ordine temporum rettulit, parum fidei mereri.

Age vero videamus, quid de reliquis scriptoribus iudicandum sit. Ac primum igitur historicorum Latinorum mentionem habeamus, e quibus tres cum bonos et nunc amissos fontes in opera sua contulerint, multum valent. Sunt enim uterque Victor et Eutropius.

Aurelius Victor circiter annum CCCLX de Caesaribus librum scripsit, qui cum magno nostro dolore non integer remansit.

Etiam epitome de Caesaribus, quae vocatur, valde dolemus, quod non incolumis tradita est. Cuius libri scriptor non satis notus eiusque nomen obscurum est, qua de causa nescio quis hunc libellum „Aurelii Victoris epitome de Caesaribus“ appellavit. Quae significatio quam inepta sit, te non praeteribit, si illum librum cum Caesaribus Aurelii Victoris comparaveris. Nam vel levius hanc epitomen perlegenti apparebit, eam qui fecerit, magna ex parte libellos a fontibus Aurelii Victoris allienissimos

descripsisse. Hi autem libelli cum quibus credatur satis digni sint, Aurelium Victorem iuniorem, quo nomine scriptorem notare liceat, valde gravem rerum gestarum testem habere non dubitamus.

Tertius Eutropius eodem fere tempore quo epitome scripta est, i. e. circiter annum CCCLXXX breviarium historiae Romanae ex optimis libris composuit [1]). Fontes qui ei suberant, nobis non comperti sunt. Sed saepe, quod satis notabile est, Eutropius et Victor iunior eundem librum exscripsisse videntur; conferas velim Vict. iun. XXXV, 4 et 8 cum Eutr. VIIII, 14 et 15, tum Vict. i. XVI, 7 sq. cum Eutr. VIII, 11—14, quibus locis amborum verba tam mirifice congruunt, ut dubitari non possit, quin communem illi fontem habuerint; qui liber communis interdum etiam a scriptoribus historiae Augustae usurpatus est [2]). Sed cave putes scriptorum quos diximus, fontem semper communem fuisse; nam maxima ex parte neque Victor ab Eutropio pendet et utriusque fontes ab iis qui scriptoribus h. a. suberant, prorsus sunt alieni.

Graecorum scriptorum primus et omnium optimus Dexippus est; quod vero ad historiam Aureliani pertinet, excepto parvo de bello Iuthungico fragmento nihil fere ex eius libris nobis usui est. — Sed etiam Zosimus, qui ineunte quinto saeculo vixit [3]), gravissimus auctor et summae auctoritatis magnique ponderis habendus est, quippe quod optimos fontes, Dexippi scilicet et Eunapii libros descripserit. [4]) Nimis tamen adhuc multi docti eum laudaverunt. Nam vituperandus est, quod temporum rationem saepe neglexit et de rebus quae in occidente gestae sunt parum protulit, id quod tibi persuasum erit, si Aureliani vitam perlegeris. Ibi enim quae inde a Claudii morte usque ad Aureliani priorem contra Palmyrenos expeditionem evenerunt, tam neglegenter et parce tractavit, ut nihil fere certum et accuratum de iis comperias. Quo parcius autem quae in Italia vicinisque terris facta sunt enarrat, eo accuratius et copiosius de rebus in oriente gestis scripsit.

[1]) cf. Pirogoff, de Eutropii breviar. indole ac fontibus. Berol. 1873.
[2]) cf. Eutrop. ed. H. Droysen in monum. German. hist. Auctor. antiquiss. tom. II. Berol. 1879, prooem. p. 38.
[3]) cf. L. Jeep, Rhen. Mus. XXXVII. 1882, p. 425 sq.
[4]) cf. Rud. C. Martin, de fontib. Zosimi, diss. Berol. 1866.

Tum Zonaras in bonorum scriptorum numero habendus est. Vixit ille quidem saeculo XII, sed eius libri magni tamen pretii ducendi sunt, cum fontes, qui optimi putantur, in iis pateant. Etenim priores viginti Dionis libros et deinde Dionis qui vocatur continuatoris opus ad verbum fere exscripsit. Itaque Zonaras etsi nova plerumque non attulit, saepissime tamen, quae dubia nobis videbantur, testimonio suo diiudicavit et confirmavit. [1]) Sed haec de Graecis hactenus. E Latinis scriptoribus unius etiam mentionem facio, Idatium dico [2]), cuius „chronicum" magnam habet auctoritatem; nam in eo testimonia nonnunquam afferuntur quae e chronico urbano aliisque fontibus gravissimis deprompta sunt.

Restat denique, ut de compluribus aliis scriptoribus minoris ad nostram commentationem momenti pauca verba faciam. Rufus et Jornandes cum aliis opusculis tum Eutropii breviario in libris scribendis usi sunt, Joannes Antiochensis opus Capitonis, qui vir Eutropii breviarium in Graecam linguam transtulerat, magna ex parte descripsit. Sed parum multa de rebus illi narraverunt, quam ut hoc loco de fide eorum disputari opus esset. — Hieronymus, quaecunque Eusebii chronico ascripsit, quantum quidem ad tertium saeculum attinet, ex Eutropio transtulit, itaque nullius fere pretii est; quod idem iudicandum est de Prospero et Cassiodorio. Etiam Orosius, qui Eusebii-Hieronymi et Eutropii libros exscripsit [3]), inferiore loco numerandus est.

Postremo addere possum chronicum Paschale, Malalam, Syncellum, Cedrenum, Ephraemium, Suidam, sed cum ad unum omnes nihil fere aut certe nullas nisi notissimas res de Aureliano tradiderint, mentionem fecisse sufficiat.

[1]) cf. W. A. Schmidt, die quellen des Zonaras, Ztschr. f. Alterthumskunde. 1839 p. 276—85.

[2]) de quo cf. G. Kaufmann i. Philol. XXXIIII 1876 p. 235 sq.

[3]) cf. Th. de Moerner, de Orosii vita eiusque historiarum libris VII adversus paganos, Berol. 1844, p. 49 sq.

De rebus gestis.

De bello Palmyreno, quod tractare mihi propositum est, recentiore tempore complures docti scripserunt, velut Lucianus Double in libro „les Césars de Palmyre" [1]); sed is vir quamquam magna cum diligentia quaecunque apud scriptores repperit, in opus suum contulit atque exposuit, minime tamen omnium vitiorum expers est. Nam saepius in diiudicandis rebus graviter erravit, velut in adnotatione XV [2]), ubi de titulo Augusti Odenathi perversissimas sententias protulit; tum etiam nimium apparatum et nimis magnam verborum copiam in narrando consumpsit. Quare Doubelii opus haud multum nobis profuisse recte mihi videor affirmare posse. — Jam vero ante eum Hoynsius et Bernhardtius de iisdem rebus disseruerunt [3]), tum Oberdickius, qui vir cum in explorando tum in interpretando maxima doctrina utebatur [4]). Etiam Alfredus de Sallet in libro qui inscribitur „die Fuersten von Palmyra" [5]), de principibus Palmyrenorum quid e nummorum titulis sibi efficiendum visum sit, magno cum ingenii acumine explanavit. Sed omnes docti quamvis curiose a fontibus res repetiverint, de compluribus tamen rebus et iis quidem gravissimis valde inter se dissentiunt. Itaque has hoc loco denuo investigare et quantum possum diiudicare conabor, in narrando autem me brevissimum fore polliceor atque, ut supradixi, ita quaestiones meas instituam, ut nisi de rebus, quae non satis diserte et apte a doctis disceptatae esse mihi videbantur, amplius non disseram.

Eodem fere tempore quo Claudius Sirmii diem obiit supremum (a. CCLXX) et Aurelianus a militibus imperator ap-

[1]) Paris 1877, cf. p. 8.

[2]) Double l. c. p. 186.

[3]) Hoyns, de Zenobia et Odenathi rebus, diss. Heidelb. 1847. Bernhardt l. c.

[4]) Oberdick, Roemerfeindliche bewegungen im Orient. Berl. 1869.

[5]) de Sallet, d. f. v. P., Berl. 1866.

pellatus est, in Aegypto Romani cum Zenobia Palmyrenorum regina, quae post mortem Odenathi mariti sub nomine Waballathi filii orientis imperium tenebat, pactionem fecerunt, qua constitutum et destinatum est, ut Palmyreni Romanorum auspiciis Aegypto praeessent et quidem ita, ut Palmyreni Aegyptiis imperarent, Romanis autem principatus ac summum imperium deferretur. Quo foedere, ut e nummorum titulis cognoscimus, Waballathus Palmyrenorum princeps, „vir consularis rex imperator dux Romanorum" vel ut in Graecis nummis legitur „ὑπατικὸς αὐτοκράτωρ στρατηγὸς Ῥωμαίων" dictus est. Nummi enim inde ab eo tempore, quo Aurelianus dominationem suscepit, Antiochiae et Alexandriae ita percussi sunt, ut capita Aureliani et Waballathi iuxta in iis ponerentur[1]). — Sed pax haud ita diu servata est. Nam Zenobia sive quod regni sui fines propagare voluit, sive quod ei persuasum erat Aurelianum simulatque barbaros vicisset, se aggredi non dubitaturum esse, Romanorum imperatori bellum indixit. Quo facto primum totam Aegyptum regno Palmyrenorum adiunxit. Quare Alexandriae et Tripoli[2]) nummos cudi iussit, in quibus solius Waballathi imago poneretur eique nomen Augusti ascriberetur[3]). — Tum omni studio cum Zabda et Zabbaeo ducibus et Longino philosopho, qui consiliorum et secretorum reginae particeps erat, bellum contra Romanos paravit. Quam ob rem magnum exercitum collegit et cum Persis foedus iniit, ut illi si Aurelianus in Syriam veniret, auxilium se esse laturos pollicerentur. Syrorum quoque et Sarracenorum complures populos in suas partes traxisse videtur.

Oberdickius putat etiam Zabbam Amalekitarum reginam, quae illis temporibus vixerit, Zenobiae cum exercitu auxilio venisse idque ait colligendum esse e Flav. Vop. Aur. 25 „pugnatum est post haec de summa rerum contra Zenobiam et

[1]) cf. Sanclementi apud Sallet. „die alex. daten" p. 85; Sallet „die fuersten von P." p. 34 sq.; Mommsen „Zenobia und Waballathus", Numism. Zeitschrift V. Berl. 1878. p. 229 sq.

[2]) Theodorus Rohde non sine iure coniecit nummos Latinos, in quibus Waballathus Augustus legeretur, non Antiochiae sed Tripoli cusos esse, v. l. c. pp. 302, 400.

[3]) Horum nummorum magnam copiam adhuc habemus.

Zabam eius sociam"[1]). Sed neque Zosimus qui has res optime et diligentissime exposuit neque ullus reliquorum scriptorum illius feminae mentionem fecit, neque apud ipsum Vopiscum, nisi forte hunc locum excipis, eam reperies; immo solus Zabdas summus bello Palmyreno exercituum dux a scriptoribus dicitur. Tum in codicibus non ‚sociam', sed ‚socium' scriptum est. Quae cum ita sint, equidem haud ita graviter in eo offendo, quod Vopiscus Zabdam non ducem sed socium Zenobiae hoc loco appellavit. Nam quicunque, quam neglegenter cum de aliis rebus tum de hoc bello Vopiscus scripserit, non ignorat, id facile fieri potuisse putabit. Itaque Oberdickii opinioni accedere non possum.

Dum igitur anno CCLXXI in parando bello Zenobia occupata est, nuntiatum est Aegyptum in ditionem Romanam revertisse; qua de causa factum est videlicet ut nummi Waballathi Augusti cudi desinerent. Palmyreni autem cum copiis suis parcendum esse putarent, Aegyptum denuo adoriri non ausi operam dederunt, ut multas Asiae minoris urbes et terras partim vi partim initis foederibus suis partibus iungerent. Itaque haud multo post praesidio cum duce Zabbaeo[2]) Palmyrae relicto Zenobia et Zabdas Asiam minorem invaserunt magnamque terrarum partem usque ad Chalcedonem Bithyniae subegerunt; nonnulla quoque oppida, quae viae in Syriam imminebant, praesidiis muniverunt. Tum de adventu Aureliani certiores facti ex Asia minore se receperunt et in urbe Antiochia, dum Romani advenirent, exspectaverunt.

Aurelianus enim eo tempore reiectis e finibus Vandalis et Iuthungis cum magno exercitu Italiam reliquit Gothosque Moesiam devastantes aggressus est. Quos postquam devicit ex Europa in Asiam transiit ibique tam feliciter rem gessit, ut omnes Asiae minoris partes brevi sub Romanorum potestatem redigeret. Recuperata autem Asia minore per Ciliciam et per montes profectus in campum Antiochensem descendit, ubi prope Antiochiam ad Orontem cum Zenobia primum manus conseruit.

[1]) cf. Oberd. l. c. p. 101.

[2]) cf. de Vogué, inscriptions sémitiques, Syrie centrale etc. p. 35.

Hoc proelium ad Antiochiam solus Zosimus planius perscripsit nec tamen ita ut, quo loco pugna commissa et quomodo factum sit ut Romani vincerent, dilucide atque evidenter perspicias. Oberdickius autem verba Zosimi aptissime interpretatus est atque hoc fere modo rem explicavit [1]). Aurelianus apud Antiochiam et quidem in ea parte quae ad meridiem spectat [2]), cum exercitu flumen traiecit ita ut primum equites, tum alio loco pedites transirent; equites autem iussit Palmyrenorum equitum impetum exspectare et fugam se capessere simulare idque tantisper facere, dum pedites omnes flumen superassent simulque hostium equites defatigati a persequendo desisterent. Tum equites cum peditibus exercitum Palmyrenorum adorti fugaverunt et usque ad muros Antiochiae consectati sunt.

Palmyreni igitur pugna commissa, ut Zosimus narrat, summa cum festinatione noctu Antiochiam reliquerunt et Emesam se receperunt. Quo audito Aurelianus Antiochiam cepit confestimque ad persequendos hostes ire perrexit. In via autem quae adverso Oronte flumine Apameam et Emesam fert, Palmyreni ut insequentes Romanos retinerent, collem viae imminentem militum praesidio muniverant. Quod cum vidisset Aurelianus celeriter aciem instruxit et brevi certamine collem occupavit praesidiumque delevit. Quo facto praeter Apameam Larissam Arethusam profectus Emesam venit ibique gravi certamine Palmyrenos ita profligavit ut omnibus fere copiis deletis Zenobia et Zabdas quam celerrime Palmyram se reciperent.

Haec fere Zosimus de poeliis narravit, sed cum reliqui scriptores magna ex parte alia protulerint itaque cum Zosimo pugnare videantur, summa est de his rebus doctorum dissensio. Itaque de integro illas hoc loco perscrutari et verum investigare conemur. Priusquam autem ad id accedamus, regionum circa Orontem descriptio praemittatur oportet.

[1]) l. c. p. 91.

[2]) Omnino nescimus qua re Palmyreni commoti sint, ut meridiana ante urbem regione aciem instruerent et cur Aurelianus a septentrione profectus Antiochiam praeterierit et infra urbem flumen traiecerit. Nam crederes Aurelianum a septentrione urbem aggressum esse simulque Zenobiam a reditu interclusisse.

Inter Orontem flumen et mare continua montium iuga proiecta sunt, quae inde a Libano monte usque ad Orontis ostium procurrunt; a quo haud procul iuga dilatantur et in duo brachia discedunt, quorum alterum in mare excurrit, alterum quod montem Casium dicimus, adverso flumine infero ad pontem ferri porrigitur, prope quem Orontes ad occidentem versus cursum flectit. Praeterea autem etiam alii montes, quibus apud veteres nomen Anticasius erat, ad sinistram Orontis inveniuntur; qui tamquam ramus dorsi secundo fluvio usque ad Casium montem pertinent. [1]) — Haud procul ab ostio Orontis ad laevam fluminis clarissima illa Antiochia exstructa erat et quidem ita, ut mons Casius qui, ut supra diximus, ab ostio Orontis secundum fluvium inferum usque ad pontem ferri porrectus est, ad urbem tam prope accedat, ut domus permultae montibus adiaceant totaque urbs inter amnem et montes quasi angustiis cuneata sit. Quinque millia ab urbe Daphne vicus, qui hodie Beit-el-Ma vocatur, sub radicibus montium situs erat. — Exstant igitur a sinistra Orontis duae viae, quae recta fluvii regione in adversas partes ex urbe Antiochia educunt. Altera praeter vicos Beit-el-Ma et Urdeh trans montes in urbem Laodiceam ad mare fert; ante portas autem huius urbis olim iuncta erat cum ea via, quae a Beroea prope vicum Schoghr ad Orontem et deinde Laodiceam ferebat. [2]) Altera sub radicibus Casii adverso Oronte ad pontem ferri, qui trans flumen factus est, ducit; tum in tres vias discedit, quae omnes in planitiem Beroeae excurrunt. Harum autem media, quae antiquissima est, praeter urbes antiquas Immas (hodie Imn) et Chalcida in urbem Beroeam transducit; apud Chalcida attingebat olim maximam illam viam publicam, quae a Damasco in oppida Emesam et Epiphaniam et deinde Beroeam ferebat [3]). Prope autem ab Antiochia, priusquam ad pontem ferri advenias, duo compita a via deflectunt, quae in vicum Deir Kuseh ad Orontem ferunt; apud hunc autem in unam viam coeunt, quae ad oppidum Schoghr, tum trans Orontem, denique dextra fluminis ad ca-

[1]) cf. Ritter, Erdkunde XVII p. 1092 sq.

[2]) cf. Mannert, Geografie der Griech. und Roemer VI, 1. p. 455, Ritter l. c. p. 1100.

[3]) cf. Ritt. l. c. p. 1633.

stellum Kalaat el Medik, iuxta quod Apameae reliquiae repertae sunt, pertinet. Quae via hodie satis obscura et rarissime tantum ex parte, a nullo quod sciam eruditorum plene explorata est. Sed, qui eam fecerunt Eli Smith et Burckhardt duobus locis multas viae militaris Romanorum reliquias repperernnt. Itaque haec via sine dubio eadem est, quae Caesarianis temporibus, ut in itinerario Antonini legitur [1]), ex urbe Antiochia praeter Niaccabam et Caperturos mansiones Apameam tulit. [2])

Quibus expositis perlustremus et enumeremus quae apud singulos historicos de proeliis quae hoc bello facta sunt, scripta inveniuntur. Qua in re Oberdickium sequor, qui aptissime in hunc fere modum res disposuit [3]);

I. Zosimus 1, 50—54.
   1) Zenobia apud Antiochiam proelio equestri vincitur.
   2) In itinere quod Aurelianus Apameam et Emesam fecit, Palmyrenos (apud Dafnen?) brevi certamine iterum devincit;
   3) pugna ad Emesam.

II. Vopiscus, Aur. 25:
   1) breve certamen apud Dafnen;
   2) pugna ad Emesam.

III. 1) Eutrop. 9,13 „Zenobiam quoque haud longe ab Antiochia sine gravi proelio cepit".
   2) Hieron. ad a. II Aurel. „Zenobia apud Immas haud longe ab Antiochia vincitur".
   3) Rufus 23. „Apud Immas haud longe ab Antiochia vicit."
   4) Iornandes de regnor. ac temp. success. 1 „Apud Hymnas vicum Antiochiae superavit".
   5) Orosius 7,23 „Zenobiam magis proelii terrore, quam proeli in potestatem redigit".
   6) Syncellus a. 264 *„καὶ πλησίον Ἀντιοχείας τῆς κατὰ Συρίαν ἐν Ἴμμαις καλουμένῳ χωρίῳ τοὺς μὲν Παλμυρηνοὺς διαφθείρει"*.

Videamus igitur, quatenus quae referunt scriptores, inter se congruant. Zosimus narrat Aurelianum post captam Antiochiam in itinere Apamensi Palmyrenos apud Dafnen vicisse. Sed hoc, ut rectissime dicit Oberdickius, fieri omnino non potuit, quia Dafne in via Laodicensi sita itaque longe ab illo Aureliani itinere remota erat. Quare Oberdickius putat illud proelium apud Immas pugnatum esse Zenobiamque et Aurelianum non secundum Orontem, sed praeter Chalcidem et Apameam ad Emesam profectos esse. Sed it tantum abest ut credamus ut prorsus incredibile nobis videatur. Nam nulla causa erat, qua Zenobia quae tanta celeritate utebatur, ut statim post pugnam noctu ex urbe evaderet, commoveri posset, ut magno viarum circuitu praeter Chalcidem in urbem Emesam se reciperet, quoniam recta via praeter Niaccabam et Caperturos eo pervenire potuit. [1]) An non timere debebat, ne Aurelianus breviorem viam secutus a reditu se intercluderet?

Tum monendum est viam publicam et militarem, quam Zenobiam secutam esse Oberdickius contendit, non praeter Chalcidem et Apameam, sed praeter Chalcidem et Epiphaniam in urbem Emesam tulisse. [2]) Id quidem constat, a Chalcide praeter Arram vicum usque ad Apameam viam fuisse, sed inter Arram et Apameam certe non ea erat quam cum magno exercitu inire posses. Itaque Zenobia si praeter Immas et Chalcidem ad Emesam se recepisset, Apameam urbem non attigisset. Zosimus autem Aurelianum praeter Apameam Larissam Arethusam profectum esse diserte dicit.

Denique in eo maxime meo quidem iudicio erravit Oberdickius quod aliam pugnam ad Immas, aliam ad Emesam factam esse dicit. Nam si comparaveris scriptores evidenter elucebit diversa illa nomina quae referunt scriptores, unam eandemque pugnam significare. Etenim ad unum omnes aut ad Immas aut ad Emesam, nemo et ad Immas et ad Emesam certatum esse narrat. — Quae cum ita sint, facere non possum quin Oberdickii sententiam prorsus reiciam. Verum si quis quaesiverit utrum ad Immas an ad Emesam dimicatum sit, certe quin apud Emesam pugna facta sit, dubitari non potest, quoniam hoc a Zosimo et Vopisco confirmatur. — Quae sententia quam vera sit, iamdudum Cuspinianus intellexit, cum ad Sext. Ruf. 24 pro Immas ponere mallet „Eme-

[1]) cf. it. Ant. 187 (edd. Parthey et Pinder, Berol. 1848).
[2]) cf. Ritt. l. c. pp. 1074, 1094, 1101, 1103 sq. 1635 sq. p. 1640.
[3]) Oberd. p. 96.

[1]) Brunner l. c. p. 85 sq.
[2]) cf. Ritter l. c. p. 1067 et 1599.

sam". Sed num recte id emendaverit, valde dubium est. Nam ab antiquissimis iam temporibus nomina illarum urbium saepius ab historicis mutata sunt, id quod propterea eo facilius fieri potuit, quod diversis temporibus diversa iis nomina fuerunt. Ptolemaeus illum vicum „Imma" vocat, in tabula Peutingeriana „Emma" legimus, Sozomenus eum „Inmessar" nominat, alii „Immos" vel „Emmas" etc.[1]) Quibus ex rebus vides, quam facile accidere potuerit, ut apud nonnullos scriptores, imprimis posteriores et quos epitomatores dicimus, pro „Emesa" poneretur „Imma".

Brunner putat Zosimum recte narrasse Aurelianum in via Apamensi apud Dafnen Palmyrenos vicisse. Sed hoc certe falsum est, ut supra demonstravimus.[2]) Eiusmodi autem coniecturae et opiniones ne ab aliis repetantur et retractentur, terrarum quae circa Antiochiam sunt, descriptionem in duabus tabellis commentationi nostrae adiunximus, id quod etiam ad diiudicandas doctorum sententias valde utile mihi visum est. Tabularum autem quas offero, priorem partim ex operibus nostris geographicis descripsi, partim ex iis quae in Mannertii et Ritteri libris repperi[3]), supplevi, posteriorem totam e tabula Markhabii[4]) depinxi.

Iam vero quibusnam locis proelia facta sint et quid de iis e scriptoribus effici possit nobis iudicantibus hoc principio constare videtur, Zosimum ante omnes reliquos in his rebus sequendum esse; nam Zosimus quamquam non sine mendis atque erroribus opus suum composuit, ut modo docuimus, in universum tamen optime et emendate et ceteris omnibus multo accuratius has quidem res narravit. Quod si verum est, aliam pugnam prope Antiochiam, aliam ad Emesam factam esse certo fere statuere possumus, cum id non solum Zosimus sed etiam Vopiscus narret et omnes fere reliqui scriptores confir-

[1]) Mannert l. c. p. 482 sq. Oberdick l. c. p. 99.
[2]) p. 25.
[3]) cf. Mannert l. c., Ritter l. c. XVII.
[4]) Coast of Syria. Sheet I., Gulf of Iskanderun to Markhab, surveyed by Lieut. E. W. Brooker, F. Skead; Master; and R. H. Blamey. Masters Assist. under the direction of Comm. A. S. Mansell R. N. H. M. S. Tartarus 1858.

mare videantur[1]). Quaeritur autem, quo loco tertia illa pugna, de qua narrat Zosimus, commissa sit; nam ille, ut supra demonstratum est, errat, cum ad Dafnen in via Apamensi eam factam esse dicit. Hanc vero quaestionem duplici modo persolvendam esse arbitror. Etenim aut apud Dafnen aut in via Apamensi proelium factum esse ponemus. Utrumque, sicut Zosimus tradidit, stare non potest, igitur si apud Dafnen, tum non in via Apamensi, si in via Apamensi, tum non apud Dafnen dimicatum est.

Si apud Dafnen pugnatum est, haec fere cogitare possumus: Zabdas et Zenobia cum ante urbem Antiochiam aciem instruerent, montem apud Dafnen qui campo imminebat, ne copiis pugnantibus subsidium quoddam et quasi fulcimentum deesset, occupari et praesidio firmari iusserunt. Inter pugnam autem cum Palmyreni celerius quam exspectaverant, reicerentur, tum Antiochiam fugerent et inde quam celerrime se reciperent, illud praesidium propter nimiam properationem in monte remansit. Postridie igitur Aurelianus de reditu Palmyrenorum certior factus urbem ingressus est simulque montem apud Dafnen brevi certamine occupavit. — Res si ita se habet, pugna Antiochensis ita quasi in duas partes dividitur, ut priore certaminis die in campo ante urbem dimicatum, posteriore urbem captam et praesidium in monte relictum oppressum esse dicamus. Tum non tres, sed duae pugnae diversae toto bello factae sunt altera inter Antiochiam et Dafnen altera apud Emesam, quam rem Vopiscus confirmare videtur, cum apud Dafnen et Emesam certatum esse refert.

Sed propius tamen vero mihi esse videtur illud proelium in via Apamensi commissum esse idque propterea quod Zosimus, qui has res diligentissime enarravit, tam diserte in itinere dimicatum esse dicit. Quo magis autem adducor, ut hoc credam eo gravius doleo, quod e scriptoribus omnino non liquet, quanam parte viae Apamensis illud proelium factum sit. Itaque nihil est quod de hac re pro certo affirmari possit. Conicio autem apud vicum, qui hodie Schoghr vocatur, pugnatum esse, quod hic locus maxime idoneus erat, qui praesidio militum muni-

[1]) cf. p. 24—25, 28

retur; prope eum enim altissimi montes ad Orontem procurrunt, quorum sub radicibus ex antiquissimis temporibus pons trans Orontem factus in dextram fluminis ripam ferebat [1]).

Quibus rebus explicatis restat, ut dicamus, unde factum sit, ut complures scriptores unum toto bello proelium commissum esse memoriae prodiderint. Nam videlicet non unam sed plures pugnas fuisse manifestum est. Illud autem quomodo evenerit, facile cogitari potest; etenim malis fontibus usi pugnam ad Emesam et proelia quae „haud procul ab Antiochia“ facta sunt, in unum quasi contraxerunt, cum scriberent, „apud Emesam — vel Immam — haud procul ab Antiochia“.

Iam ad rem revertamur: Clade apud Emesam accepta Zabdas et Zenobia Palmyram fugerunt, quam urbem tamquam ultimum receptaculum omnibus viribus et acerrime defendere constituerunt. Aurelianus igitur eos persecutus urbem omnibus copiis circumdedit et obsedit. Mox autem Persae cum exercitu Palmyrenis auxilio venerunt, sed Aurelianus eos vicit cepitque. Tum Zenobia cum ad ultimum perventum esse vidisset, ad Persas profugere consilium cepit, quorum cum auxilio bellum renovaret oppugnataeque urbi succurreret. Sed spes eam fefellit; nam priusquam Persarum fines intrasset, ab equitibus Romanis capta et ad Aurelianum perducta est. Quo nuntiato Palmyreni de salute desperantes urbem tradiderunt. Itaque imperator cum exercitu Palmyram ingressus est; neque vero urbem militibus diripiendam dedit, sed incolis eorumque bonis pepercit et haud multo post Sandarione cum sexcentis militibus relicto Emesam rediit, ut de Zenobia eiusque ministris iudicium faceret; ibi igitur Longinum aliosque consiliarios et duces occidi iussit, contra Zenobiae eiusque liberis vitam donavit. Deinde in occidentem se rettulit omnes copias et captivos multos secum ducens. In itinere autem Palmyrenos Romanorum praesidio interfecto novam seditionem movisse per Marcellinum Mesopotamiae praefectum certior factus est; quare protinus in Asiam revertit et summa cum festinatione in Syriam profectus Palmyram cepit incolisque necatis urbem solo aequavit. Tum vero toto oriente pacato exercitum in Europam reduxit, ut Tetricum Gallis imperantem vinceret omnesque terras quas ille obtinuit recuperaret. Itaque Galliam invasit ac tantum profecit, ut brevissimo tempore eam in ditionem potestatemque Romanam redigeret. Quo facto Romam venit splendidissimumque triumphum egit.

[1]) cf. Zos. 1, 52 „μετὰ δὲ τὴν νίκην ἐπ' ἀδείας τὴν διάβασιν ποιουμένοις .... χαίροντας κύριον κατὰ ταῦτα τῇ ὁδοιπορίᾳ τοῦ βασιλέως χρωμένου“. Valde dolendum est quod verba Zosimi non integra relicta sunt; nam forsitan verbis διάβασιν ποιουμένοις transitum Orontis significaverit.

Quanto autem hic apparatu actus sit iam non opus est me narrare, cum Vopiscus copiosissime de illo scripserit [1]). Tamen hoc unum monere velim, Vopiscum narrare Aurelianum triumphantem in curru sedisse, cui quattuor cervi iuncti fuissent, quae res memoratu satis digna mihi visa est. Nam semper, ut notum est, mos fuit, ut triumphatorum currui albi equi praecederent [2]). Tertio demum p. C. n. saeculo in usum receptum est, ut pro triumpho Persico elephantorum quadrigae decernerentur; nunquam autem litteris Latinis, nisi forte hunc Vopisci locum excipis, de cervorum quadrigis quicquam legitur. — Triumphavit igitur Aurelianus non de Tetrico et Zenobia, sed de Iuthungis Vandalis Persis aliis, quoniam usu et lege praescriptum erat, ut pro aucto imperio, non pro recuperatis partibus, quae populi Romani fuissent triumpharetur; neque tamen id obstitit, quin Zenobiam quoque et Tetricum cum filiis per triumphum duceret.

Iam denique quaeramus, qui fuerit Zenobiae eiusque familiae exitus ac fortuna Sed de hac re nihil fere compertum habemus. Verum id opinor constat Zenobiam ante currum Aureliani triumphantis incessisse; nam hoc Eutropius asseverat confirmantque diversis locis scriptores historiae Augustae [3]). Deinde ab Aureliano praedium Tiburtinum ei donatum esse fertur, in quo matronae Romanae more cum liberis vixerit et consenuerit [4]). — Filios, ut ferunt scriptores, Zenobia tres habuit, Waballathum Herennianum Timolaum. Waballathus

[1]) cf. Aur. 33, 34.

[2]) cf. Marquardt in antiquitat. II p. 566.

[3]) cf. Eutr. VIIII, 13; Vop. Aur. l. c. Pollio trig. tyr. 24, 30; tum cf. Bernhardt l. c. p. 189 et Oberdick, deutsche Morgenl. Gesch. XVIII p. 755 sq.

[4]) cf. Poll. l. c. 30.

maximus natu et Palmyrenorum rex erat, sed verbo tantum, nam re vera Zenobia mater Palmyrenis imperavit. Herennianus et Timolaus, ut Pollio saepius narrat, cum Zenobia Romam venisse feruntur, contra Zosimus et Vopiscus unum e filiis Zenobiae cum matre Romam venisse et in triumpho ductum esse dicunt. E scriptoribus quis vere quis falso narraverit, cum magno nostro dolore diiudicare non possumus. Sed quid ad rem: Si non duo, at certe unus cum Zenobia ad triumphum Romanum in Italiam deductus est [1]). Etiam de progenie Palmyrenorum principum nonnihil per scriptores memoriae proditum est; ferunt enim Pollio et Eutropius Zenobiae posteros permultis post annis in Italia vixisse, quod idem titulo Romano confirmari videtur, cum in eo puellae cuiusdam mentio fit, quae „ab Odenatho et Zenobia celeberrimis Palmyrenorum principibus originem ducit [2])“ Inde autem concludere licet aut ipsam Zenobiam nuptam fuisse cum viro nobili Romano, aut quod credere malim, eius filium mulierem Romanam in matrimonium duxisse.

Satis multa opinor verba de rebus gestis facta sunt; nunc vero superest, ut de temporum ordine disputetur. Qua in re quamvis dissentiant docti, tamen excepto Gibbonio inter omnes quod sciam constat, Aurelianum primum Iuthungos-Alamannos devicisse, tum orientem pacasse, denique Galliam recepisse. Gibbonius autem putat Tetricum prius devictum esse quam Zenobiam. Sed hoc non solum per se parum verisimile est, ut docuit Bernhardtius [3]), verum etiam plurimorum scriptorum veterum testimoniis velut Eusebii Zosimi Zonarae Vopisci planissime repugnat. Etiam id fortasse sententiam Bernhardtii scriptorumque testimonia confirmat, quod nulli fere exstant nummi Aureliani, qui intra quattuor priores eius dominationis annos

[1]) Valde mirum est, quod L. Doubelius pro certo affirmat, Waballathum ante initium belli mortuum esse; dicit enim l. c. p. 191 „les inscriptions palmyréniennes nous apprennent que Waballath était mort avant la rupture de Zénobie et d'Aurélien“, quod idem p. 177 asseverat!

[2]) cf. corpus inscr. L. VI, 1516.

[3]) l. c. p. 172, etiam cf. Oberd. Roemerf. beweg. no. 142.

in moneta Lugdunensi percussi sint [1]). Inde enim Lugdunum et Galliam illis annis in potestatem Aureliani nondum redactam fuisse colligimus. Sed si quis ex eo quod nummi Tetrici exstant, qui vota decennalia exhibent, cogere et efficere velit [2]), illos nummos solutis demum votis quinquennalibus itaque, cum Tetricus anno CCLXVIII purpuram ceperit, aut anno CCLXXIII aut post hunc annum cusos esse, meo quidem iudicio valde errat. Nam Postumus, qui ante Tetricum Gallis imperavit, quamquam non, ut mos erat imperatorum, vota decennalia sed vota quinquennalia suscepit et solvit, nulla tamen causa est, cur etiam Tetricum id fecisse coniciendum sit. Immo praeter Postumum ab omnibus, quantum scimus, imperatoribus in usum receptum erat, ut, ubi primum purpuram suscepissent, decennalia vota solverent. Quam ob rem vota decennalia etiam in eorum imperatorum nummis leguntur, qui unum vel duos annos regnaverunt, velut in nummis Pupieni et Decii [3]). Itaque illos nummos Tetrici qui vota decennalia exhibent, tam anno CCLXXIII quam quovis alio percussos esse posse non sine iure mihi videor arbitrari.

Quaeritur denique Aurelianus quo anno contra Zenobiam dimicaverit. Quod ut diiudicetur nummorum titulorum scriptorum testimonia respiciantur necesse est.

Ac primum igitur quid e nummis expediri possit circumspiciamus. Exstant nummi Alexandrini, quibus capita Aureliani et Waballathi cum annis *Α Β Δ Ε* imposita sunt et quidem ita, ut annus *Α* Aureliani iuxta annum *Δ* Waballathi, in aliis *Β* Aureliani iuxta *Ε* Waballathi inveniatur. Annus *Β* Aureliani simul cum anno *Ε* Waballathi a die XXVIIII mensis Augusti a. CCLXX usque ad diem XXVIII m. Aug. a. CCLXXI fuit, igitur annus *Α* Aureliani et *Δ* Waballathi ante d. XXVIIII m. Aug. CCLXX. In his nummis Aureliano nomen *Σεβαστοῦ* ascriptum est, Waballathus autem *ὑπατικὸς αὐτοκράτωρ στρατηγὸς Ῥωμαίων* dicitur [4]). Tum inveniuntur multi nummi, qui

[1]) cf. Rohde l. c. p. 336 sq.

[2]) velut Bernhardtius l. c. p. 199, n. 2.

[3]) cf. Cohen, monnaies de l'empire IV, Pupien. 22, 23, 43, 44; Decius 56, 111—113.

[4]) cf. p. 20.

omnes anno *E* signati sunt et solius Waballathi caput σεβαστοῦ nomine circumscriptum exhibent. Quibus ex rebus, ut primus Alfredus de Sallet docuit [1]), colligendum est, die XXVIIII mens. Aug. CCLXX Palmyrenos et Romanos in pace fuisse atque Aegyptiis, ut supra expositum est, coniunctim imperasse, procedente dein anno Palmyrenos a Romanorum societate defecisse totiusque Aegypti imperium suscepisse, denique ante diem XXVIIII Aug. CCLXXI Aegyptum in ditionem Romanam revertisse.

E titulis duo Palmyreni hic locum habent. In altero legitur a Zabda et Zabbaeo ducibus in honorem Zenobiae illustrissimae reginae mense Augusto CCLXXI monumentum positum esse; ex quo Zenobiam illo ipso tempore de possessione imperii nondum deiectam fuisse concludimus. [2]) Alterum repperit Waddingtonius in tabella votiva, quae ut in ea scriptum est mense Augusto a. CCLXXII dedicata et in templo Palmyreno posita est, unde recte videlicet Waddingtonius colligit Palmyram non ante mensem Aug. CCLXXII eversam esse. [3])

Haec igitur nummorum monumentorumque testimonia sine dubio certissima existimanda sunt. Sed respiciamus etiam quid e scriptoribus confici possit, qui si non gravissimi testes velut tituli, maximi tamen ad explorandam historiam momenti iure habentur. Principio autem moneam epistulas et acta quae a Vopisco prodita sunt, hoc loco prorsus omissa esse, quoniam quam incerta sint quae in iis leguntur, supra satis ostendi.

Idatius vero in chronico suo quad satis bonum est, muros urbis ab Aureliano anno CCLXXI renovari coeptos esse refert et Zosimus id factum esse confirmat, antequam Aurelianus bellum contra Palmyrenos suscepisset. Hinc efficitur, ut Aurelianus aut anno CCLXXI aut post hunc annum initium belli Palmyreni fecerit. — Iam videamus, num quid certum etiam de tempore quo bella finita sunt, scriptores attulerint. Nonnulli enim, quando Aurelianus triumphaverit, memoriae prodiderunt, id

[1]) cf. Sallet, Fuersten etc. p. 35 sq.

[2]) cf. Vogüé l. c. no. 29 et Lebas et Waddington, inscriptions grecques et Latines recuellies en Grèce et en Asie mineure III, 2611.

[3]) cf. Waddington, explication des inscriptions Grecques etc. III p. 606.

quod, cum triumphus bellis finitis ageretur, multum valere potest. Cassiodorius Aurelianum triumphasse refert anno CCLXXIIII, Prosper a. CCLXXIII, Hieronymus tertio post susceptum imperium anno. Sed haec testimonia nullius pretii mihi esse videntur. Nam cum Cassiodorius chronicum Prosperi, Prosper chronicum Hieronymi totum fere descripserit, Hieronymus quae narrant Eusebius et Eutropius, in suum opus contulerit, Eusebius autem et Eutropius de tempore quo triumphus actus est, omnino nihil scripserint, sequitur, ut fides testimoniorum quae ab illis afferuntur, valde imminuatur ac labefactetur atque etiam id apparet quam parum firma sint, quae illi narrant et quam in tractandis rebus leves sint ac neglegentes.

Verum magis credendum est Aurelio Victori iuniori, qui Aureliani magnitudinem et virtutes ita miratur, ut Alexandro et Caesari eum anteponere non dubitet; nam illos, ait, multos annos in debellandis hostibus consumpsisse, Aurelianum autem Romanorum orbem triennio ab invasoribus receptasse. Invasorum nomine Victor non solum Zenobiam et Tetricum, sed etiam barbaros, qui primo dominationis anno ab Aureliano victi sunt, significare videtur; id quidem inde colligo quod illi quoque viri quos cum Aureliano comparat, Alexandrum dico et Caesarem, quorum alterum tredecim annis Persarum regnum expugnasse, alterum decennio Gallos subiecisse asseverat, non contra usurpatores, ut dicere liceat, sed contra hostes barbaros dimicaverunt. Hoc Victor praedicare vult, Aurelianum intra tres annos omnes hostes debellasse totumque imperium in integrum restituisse. Itaque si verum est quod Victor iunior narrat, Aurelianus quoniam, ut notum est [1]), ante diem XXVIIII mens. Aug. CCLXX imperator factus est, ante eundem diem anni CCLXXIII aut certe intra annum CCLXXIII bella finivit triumphumque egit. —

Quibus expositis iam oculis perlustremus ea quae e nummis titulis scriptoribusque tamquam summam rerum effecimus et elaboravimus:

1. ante diem XXVIIII mens. Aug. CCLXX Aurelianus Augustus dicitur;

[1]) cf. Eckhel VII, ad Aurel. adnot.

2. a. CCLXX — CCLXXI bella contra Iuthungos et Vandalos;
3. CCLXXI muri urbis exstrui coepti sunt;
4. CCLXXI Palmyreni seditionem movent et Aegyptum totam occupant;
5. ante diem XXVIIII Aug. CCLXXI Aegyptus in potestatem Romanorum redigitur;
6. post mens. August. CCLXXI Zenobia capitur et Palmyra expugnatur;
7. post mens. August. CCLXXII Palmyra deletur, Tetricus vincitur;
8. CCLXXIII bella finiuntur et triumphus agitur.

Ceterum si licet coniecturas adhibere nonnulla tempora accuratius destinari possunt. Exstant enim duo monumeuta, quae a Zabda et Zabbaeo ducibus mense Augusto CCLXXI Palmyrae posita sunt; alterum, de quo supra dixi, Zenobiae, alterum in honorem Odenathi mortui dedicatum est. [1]) Inde igitur Zenobiam mense Augusto CCLXXI in possessione imperii fuisse collegimus; sed id quoque efficere possumus Zabdam et Zabbaeum illo tempore in urbe Palmyra versatos esse. Zabdas autem ut constat, antequam Aurelianus in Orientem advenit, magnam Asiae minoris partem expugnavit neque prius Palmyram revertit quam facta ad Emesam pugna cum Zenobia Palmyram fugere cogeretur. Igitur illa monumenta aut post proelium ad Emesam vel dicam inter obsessionem Palmyrae aut eo tempore collocata sunt, quo Zabdas cum Zenobia Palmyrae bellum Romanum paravit. Utrum autem vero propius sit, nemini opinor dubium est; nam si quis in maximo periculo et summo rerum discrimine versatur, velut Zabdas inter oppugnationem Palmyrae, eius modi monumenta statuere non solet. — Quod si verum est sequitur, ut post mensem August. CCLXXI Palmyreni Asiam minorem expugnaverint et Aurelianus in Asiam advenerit Zenobiamque vicerit. Itaque Palmyram non ante medium fere annum CCLXXII aut saltem non ante ver eiusdem anni a Romanis captam esse iure concludere possumus.

---

[1]) Vogüé 28.

Eversa autem est Palmyra, ut supra diximus, post mens. Aug. CCLXXII. Igitur secunda contra Palmyrenos expeditio et quae deinde sequuntur, bellum Gallicum et triumphus, acta sunt et evenerunt post mens. Aug. CCLXXII et quoniam triumphus a. CCLXXIII habitus est, ante finem anni CCLXXIII.

Quibus in rebus miramur, quod multa tam brevi tempore facta sunt; nec tamen equidem in eo offendo. Nam omnia bella perbrevi ad finem perducta esse e scriptoribus satis superque apparet, velut bello Gallico, in quo neque acie certatum est, et ne levia quidem proelia commissa esse videntur, imperator tam celeriter rem confecit, ut quinquaginta diebus id plane finitum fuisse apte cogitari possit. Tum etiam monendum est quod Victor iunior Aurelianum intra breve triennii tempus bella finivisse expresse dicit et ob hanc quidem rem Alexandro et Caesari se illum praeponere asseverat.

viae militaris reliquiae adhuc repertae,
viae novae.

Sinus Issicus
Alexandria (Iskanderun)
Pagrae
Rhosicum pr.
Pieria M.
Antiochia
Orontes
(pons ferri)
Seleucia
Daphne
Orontes
Deir Kusch
(Urdeh)
Dschoghr
Immae (Imn)
Beroea (Haleb)
ad Euphrat.
Chalcis (Eski Haleb)
ad Euphrat.
(Riha)
Arra (Mà arrat en Na'amân)
(Howahs)
Apamea (Kalaat el Medik vel Formiah)
Laodicea
Larissa
Epiphania (Hamah)
Arethusa
Aradus
Emesa (Hems)
ad Damascum
ad Palmyram

I
Regiones
circa
Orontem.

ad Pagras
'Aasi)
Orontes (Nahr el
Campus Antiochensis
ad pontem ferri
Antiochia (Antakiyeh)
Kuchuk Kara Chai
Barrak
(Buyuk Kara Chai)
Daphne
(Beit el Ma)
Seleuciae
parietinae
(Suweidiyeh)
Jebel Simeon
(Tunnunus)

II
Campus proelii
ad Antiochiam
commissi.